

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

In C. Crispum Sallustium Ciceroni falso ascripta responsio

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

superasti, quem tandem locum in hac ciuitate obtines? quæ tibi partes reipublicæ placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui insidias in ciuitate fecisti, ancillarise? quo in re, cum de exsilio tuo Dyrrbachio rediisti, eum sequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faues? qui tibi ante optimates uidebantur, eosdem nunc dementes, ac furiosos uocas? Vatiniij causam agis? de Sextio male existimas? Bibulum petulantissimis uerbis lædis? laudas Cæsarem? quæ maxime odisti, ei maxime obsequeris? aliud stans, aliud sedens de repub. sentis? his maledicis, illos odisti, lenissime transfuga, neq; in hac, neq; in illa parte fidē habēs.



IN C. CRISPVM

P. E.

SALLVSTIVM CICERONI

FALSO ASCRIPTA

responſio.



A demum magna uoluptas est, Crispe Saluſti, æqualem, ac parem uerbis uitã agere: neq; quicquam tam obſcœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoritas tua respondeat, ut omnis oratio moribus cõsonet. neq; enim, qui ita uiuit, ut tu, aliter, ac tu loqui potest, neq; qui tam illoto sermone utitur, uitã honestior est. Quo me uertam, patres conscripti? unde initium sumam? maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum: quod aut si de mea uita, atq; actibus huic conuiciatori respondero, inuidia gloriam consequatur: aut si huius

huius facta, mores, omnem aetatem nudauero, in idem uitium incidam procacitatis, quod huic obuiio. Id uos, si forte offendimini, iustus huic, quam mihi succensere debetis, qui initium introduxit, ego dabo operam, ut & pro me minimo cum fastidio respondeam, & in hunc minime mentitus esse uidear. Scio me, P. C. respondendo non habere magnam expectationem, quod nullum uos sciatis nouum crimen in Sallustium audituros, sed omnia uetera recognituros, quae & meae, & uestrae iam, & ipsius aures calent. Verum eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare minimis rebus posuit rudimentum: sed ita ingressus est, ut neq; ab alio uinci possit, neq; ipse se omnino reliqua aetate praeterire. Itaq; nihil aliud studet, nisi ut l'itulentus sus cum quouis uoluitari. Longe uero fallitur opinione. non enim procacitate linguae uita sordes eluuntur: sed est quaedam calumnia, quam unusquisq; nostrum; testante animo suo, fert de eo, qui falsum crimen bonis obiecit. quod si uita istius memoriam uicerit, illam, P. C. non ex oratione eius, sed ex moribus spectare debetis. tam dabo operam, quam maxime potero, ut breue id faciam. Neq; haec altercatio nostra uobis inutilis erit, P. C. Plerumque enim res publica priuatis crescit inimicitiiis: ubi nemo ciuis, qualis sit uir, potest latere. Primum igitur, quoniam omnium maiores Crispus Sallustius ad unum exemplum, & regulam querit: uelim mihi respondeat, nunquid ij quos protulit Scipiones, & Metellos, ante fuerint ullius aut opinionis, aut gloriae, quam eos res gesta sua, & uita innocentissime acta commendauit? quod si hoc fuit illis initium nominis, & dignitatis, cur non aequae de nobis existimetur, cuius & res gesta illustres, & uita est integerrime acta? quasi uero tu sis ab illis uiris, Sallusti, ortus, quod si esses,

non

P. 272.

nonnullos iam tuæ turpitudinis piger et. Ego meis maiori-
 bus uirtute mea præluxi: ut, si prius noti non fuerint, à me
 accipiât initium memoriæ suæ: tu tuis, uita quam turpiter
 egisti, magnas offudisti tenebras: ut, etiâ si fuerint egregij
 ciues, cer te uenerint in obliuionem. Quare noli mihi anti-
 quos uiros obiektare: satius est enim me meis rebus gestis
 florere, quâ maiorû opinione niri, & ita uiuere, ut ego sim
 posteris meis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum. Neq;
 me cû iis cõferri decet, patres conscripti, qui iâ decesserunt,
 omniq; odio carêt, & inuidia, sed cum iis, qui mecum una in
 repub. uersati sunt. Sed, si fuerim aut in honoribus petendis
 nimis ambiciosus (non hæc dico popularẽ ambitionẽ, cuius
 me principem confiteor, sed illã perniciosã contra leges, P. B.
 cuius primos ordines Sallustius duxit) aut in gerendis ma-
 gistratibus, aut in uindicandis maleficiis tam seuerus, aut
 in tuenda republica tam uigilans, quam tu proscriptio-
 nem uocas: credo*, quod non omnes tui similes incolumes
 in hac urbe uixissent. At quanto meliore loco resp. staret, si
 tu par, ac similis scelestorum ciuium, una cum illis adnu-
 meratus esses; An ego tunc falso scripsi, CEDANT AR-
 MA TOGAE, qui togatus armatus, & pace bellum op-
 pressi? An illud mentitus sum, Fortunatam natã, me con-
 sule, Romanum, qui tantum intestinum, bellum ac domesti-
 cum urbis incendium extinxi? Neque te tui piger, homo
 lenissime, cum ea culpas, quæ in historiis gloria mihi
 ducis? An turpius est, P. C. scribentem mentiri, quam
 illum palam, hoc ordine dicentem? Nam quod atatem
 increpuiisti, tantum me abesse puto ab impudicitia, quan-
 tum tu abes à pulchritudine. Sed quid ego de te plura que-
 rar? Quid enim mentiri turpe ducis, qui mihi ausus
 sis eloquentiam ut uitium obicere, cuius semper nocens
 egui

eguisti patrocinio? An ullum existimas posse fieri ciuem
 egregium, qui nō his artibus, & disciplinis sit eruditus? an
 ulla alia putas esse rudimenta, & incunabula virtutis, qui
 bus animi ad gloria cupiditatem aluntur? Sed minime mi-
 rum est, P. C. si homo, qui desidia, ac luxuria plenus sit, hęc
 ut noua, atq; inusitata miratur. Nam quod ista inusitata
 rabie petulanter in uxorem, & in filiam meam inuasisti,
 quę facilius mulieres se à uiris abstinnerunt, quam tu uir
 à uiris: satis docte, ac perite fecisti. Non enim me sperasti
 mutuatam tibi gratiam relaturum, ut uicissim tuos compell-
 larem. Vnus enim satis es materia habens: neq; quiquam
 p. 273. domi tuę turpius est, quam tu. Multum uero te opinio
 fallit, qui mihi parare putasti inuidiam ex mea re familia-
 ri, quę mihi multo minor est, quam habere dignus sim. At
 que utinam ne tanta quidē esset, quanta est, ut potius ami-
 ci mei uiuerent, quam ego testamentis eorum locupletior
 essem. Ego fugax, Crispe Sallustii furori tribuni Pleb. cessi:
 utilius duxi quamuis fortunam unum experiri, quam uni-
 uerso populo Romano ciuile esse dissensionis causa. qui,
 posteaquam ille suum annum in repub. perbacchatus est,
 omniaque, quę commouerat, pace, & otio resederunt: hoc
 ordine reuocante, atq; ipsa repub. manu trabente me, re-
 uerti. qui mihi dies, si cum omni reliqua uita conferatur,
 animo quidem meo superet, cum uniuersi uos, populusque
 Rom. frequens aduentu meo gratulatus est. Tanti me fug-
 gacem, mercenarium patronum hi aestimauerunt. Neque
 hercule mirum est, si ego semper iustas omniam amicitias
 existimaui. Non enim uni priuatim ancillatus sum, neque
 me addixi: sed, quantum quisque recipub. studuit, mihi tantū
 fuit aut amicus, aut inimicus. Ego nihil plus uolui habere,
 quā pacē: multi priuatorum audacias nutrierunt. ego nihil
 timui

timui, nisi leges: multi arma sua timeri uoluerunt. ego uñ-
 quā uolui quidquam posse, nisi pro uobis: multi ex uobis po-
 tētia freti, in uos suis uiribus abusi sunt. Itaq; non est mirū,
 si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo reip. amicus
 fuit. Neq; me pœnitet, si aut petenti *Vatinius* reo patrociniū
 pollicitus sum, aut *Sextij* insolētiā repressi, aut *Bibuli* pa-
 tiētiā culpauī, aut uirtutibus *Cæsaris* faui. hæ laudes egregij
 ciuis, & unice sunt. Quæ si tu mihi ut uitia obijcis, teme-
 ritas tua reprehendetur, non mea uitia culpabūtur. Plura
 dicere, si apud alios mihi esset dicēdum, P. C. non apud uos,
 quos ego habui omnium me arum actionum monitores. Sed
 ubi rerum testimonia ad sunt, quid opus est uerbis? Nunc, P. B.
 ut ad te reuerti ar, *Sallusti*, patremq; tuum prætereā: qui si
 nūquam in uita sua peccauit, tamen maiorem iniuriā reip.
 facere non potuit, quam quod te talem filium genuit: neque
 tu si qua in pueritia peccasti, exsequar, ne parētem tuum
 accusare uidear, qui eo tempore summam tui potestatem
 habuisti, sed qualem adolescentiam egeris. hac enim demon-
 strata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia tam im-
 pudicus, & procax adoleueris. Posteaquam in mēse gula
 impudicissimi corporis quæstus sufficere nō potuit, & atas
 tua iam ad ea patiēda, quæ alteri facere collibuisse, exo-
 leuerat: cupiditatibus infinitis efferebaris, ut, quæ ipse
 corpori tuo turpia non duxisses, in alijs experireis. Ita
 non est facile reputare, P. C. utrum in honestioribus corpo-
 ris partibus rem quæsierit, an miserit. Domū paternā, ui-
 uo patre, turpissime uenalem habuit, uendidit. & cuiquam
 dubium potest esse, quin mori coegerit eum, quo hic nōdum
 mortuo, pro herede gesserit omnia? Neq; pudet eum a me
 querere, quis in P. *Craffi* domo habitet, cum ipse respōde-
 re non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At her-
 cule

cule lapsus ætatis tirocinio, postea se corvexit. non ita est, sed abiit in sodalitiū sacrilegij Nigidani: bis ad iudicis subsellia attractus, extrema fortuna stetit, & ita discessit, ut non hic innocēs esse, sed iudices peierasse exist. marētur. Primum honorem in quæstura adeptus, hunc locū, & ordinem deseruit despectus, cuius aditus sibi quoq; serdidissimo homini patuisset. Itaq; timens, ne facinora sua clam uos essent, cum omnibus matribus familiarum opprobrio esset confessus est, uobis audientibus, adulteriū, neq; erubuit ora uestra. Vixeris, ut libet. Sallusti: egeris, quæ uolueris: satis sit unū te tuorum scelerū cōscium esse: noli nobis languorē, & soporem nimium exprobare. Sumus diligentes in tuēda pudicitia nostrarum uxorū, sed ita experrecti nō sumus, ut a te cauere possimus. Audacia tua uincit studia nostra. Eo quod hunc mouere possit; P. C. factum, ac dictum turpe, quē non puduit palam, uobis audientibus, adulteriū cōfiteri? Quod si tibi nihil per me respondere uoluisset, sed illud censorium elogium Appij Claudij, & L. Pisonis integerrimorum uirorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam uniuersis recitarem: nonne tibi uiderer æternas inuere maculas, quas reliqua uita tua elucere non possit? Neque post illum delectum senatus umquam te uidimus: nisi forte in ea te castra coniecisti, quo omnis sentina reip. confluxerat. At idē Sallustius, qui in pace ne senator quidē māserat, postea quā re spub. armis oppressa est, & idem uictores, qui exsules reduxit, in senatum post quæsturā est reductus, quē honorem ita gessit, ut nihil in eo non uenale habuerit, cuius aliquis emptor fuerit. ita igitur egit, ut nihil non æquum, ac uerum duxerit, quod ipsi facere collibuisse: neque aliter nexauit, ac debuit, si quis præda loco magistratum accepisset. Peracta quæstura, posteaquam magna pigno

pignora eis dederat, cum quibus similitudine uitæ se cõ-
iunxerat, unus tam ex illo grege uidebatur. Eius enim
patris erat exemplar Sallustius, quo tamquam in unam
noraginem cætus omnium uitiorum excefferat. quidquid
impudicorum, cyllonum, paricidarum, sacrilegorum, debi-
torum fuit in urbe, municipijs, colonijs, Italia tota, sicut in
fretis subfederant, nominis perditum, ac notissimum, nulla in
parte castris aptum, nisi licentia uitiorum, & cupiditate rerum
nouarum. At, posteaquam prætor est factus, modeste se ges-
sit, & abstinenter. nonne ita prouinciam uastauit, ut nihil
neq; passi sint, neq; expectarint grauius in bello socij no-
stri, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem P. B.
obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide
uominum traieci, aut in nauis contrudi: tantum inquam,
P. C. exhausit, quantum uoluit. Ne causam diceret, se ser-
tio duodecies cum Cesare pacificum. Quod si quidpiam
eorum falsum est, hic palam refelle, unde tu, qui modo ne
paternam quidem domum retinere potueris, repente tam-
quam somnio beatus, hortos pretiosissimos, uillam Tybur-
ti, C. Cesaris reliquas possessiones paraueris. Neq; piguit
querere, cur ego P. Crassi domum emissem, cum tu ueteris
uillæ dominus sis, cuius paullo ante fuerat Cesar: modo,
inquam, patrimonio non comeso, sed deuorato, quibus ra-
tionibus repente factus es tam affluens, & tam beatus?
nam quis te faceret heredem, quem ne amicium quidem suum
satis honestum quisquam sibi ducit, nisi similis, ac par tui?
At hercule egregia facta maiorum tuorum te extollunt:
quorum siue tu similis es, siue ille tui nihil ad omnium se-
culum, ac nequitiam addi potest. Verum, ut opinor, honores
tui te faciunt insolentem. Tu, C. Sallusti, tantidem putas esse,
bis senatorem, & bis quaestorem fieri, quanti bis consulari

Et bis triumphalem? Carere debet omni uitio, qui in alterum paratus est dicere: is demum maledicit, qui non potest merum ab altero audire. Sed tu omnium mēsarum afflecta, omnium cubiculorum in prima etate pellex. Et idē postea adulter, omnis ordinis turpitudines, et civilis belli memoria. Quid enim grauius pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine uideamus? Desine bonos petulantissima

P. 27 confectari lingua: desine morbo procacitatis isto uidi facere unumquemque moribus tuis estimare. his moribus anicis tibi facere non potes: uideris uelle inimicum habere. Finem dicendi, P. C. faciam. saepe enim grauius uidi offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Sallustius merito debeat audire, sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possim.



AD POPVLVM, ET

EQVITES ROM. ANTE-

QVAM IRET IN

exilium

ORATIO.

Et hæc falso est Ciceroni adscripta.



SI quando inimicorum imperium propulsare, ac propellere cupistis, defendite nunc uniuersum, qui, ne omnes concideretis, ardore, ue flamma conflagraretis, mei capitis periculo non dubitauit providere. Nam, quem uirtutis gloria cum summa laude ad caelum extulit, eundem inimicorum inuidia